Si nunquã cesses tendere mollis erit.
Clarus erat siluis cephalus. multeq; ꝑ herbas.
Conciderant illo percutiente fere.
Nec tamen aurore male se prebebat amandum.
Ibat ad hunc sapiens a sene diua uiro.
Sepe sub ilicibus uenerem cinareq; creatum.
Sustinuit positos quelibet herba duos.
Arsit & oenides in menalia athalanta.
Illa fere spolium pignus amoris habet.
Nos quoq; iam primum turba numerem̃ in illa.
Si uenerem tollas rustica silua tua est.
Ipsa comes ueniam nec me latebrosa mouebũt.
Saxa nec obliquo dente timendus aper.
Equora bina suis expugnant fluctibus isthmon.
Et tenuis tellus audit utrunq; mare.
Hic troezena colam pytheia regna tecum.
Iam nunc est patria carior illa mea.
Tempore abest aberitq; diu neptunius heros.
Illum pirithoi detinet ora sui.
Preposuit theseus nisi nos manifesta negamus.
Pirithoum phedre pirithoumq; tibi.
Sola nec hec ad nos iniuria uenit ab illo.
In magnis lesi rebus uterq; sumus.
Ossa mei fratris claua perfracta trinodi.
Sparsit humi. soror est preda relicta feris.
Prima securigeras inter uirtute puellas.
Te peperit nati digna uigore parens.
Si queras ubi sit theseus latus ense peregit.
Nec mater tanto pignore tuta fuit.
At nec nupta qdem tedaq; accepta iugali.
Cur nisi ne caperes regna paterna notus
Addidit & fratres & me tibi quos tñ omnes.

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK HEIDELBERG

BIBLIOTECA APOSTOLICA VATICANA

© Biblioteca Apostolica Vaticana
http://digi.ub.uni-heidelberg.de/diglit/bav_pal_lat_1668/0025

MANFRED LAUTENSCHLÄGER STIFTUNG